

logum Tuorum nominum, ut sciant lectores, quo utantur nomine Tuo, nam hoc 15) requiret a Te ipsa ars. Hoc decet Te editurum tam splendidum et vere regium opus; addas etiam si placet Tuas descriptiones, ne 16) malevoli in peiorem partem Tua interpretentur, et dicant egregie pictorem res suas egisse, Te vero nihil egisse.« — etc.

En animadversiones meas.

1) Liceat unice ad me tuendum, et absit invidia verbis, liceat quod ignoras credo, Tibi dicere, totum quantum est Hafniense institutum hoc botanicum coeptum esse et continuari secundum mea consilia. A me selectus est hic quem laudas pictor, me duce pingit. Quaeso noli nimis pronus esse ad contemnendum hunc hominem, quem alii graves viri debent melius nosse, quam Tu potes.

2) Neque placent neque displicent, nam Synonyma sumuntur ubi reperiuntur, neque citantur nominis causa (quod ad cognitionem rei nihil confert et tantum cognitae jam rei ideam in mentem revocat), sed ad clarius declarandum locum libri citandi.

3) Quidni? nonne possit edi sylloge iconum sine descriptionibus, aequae ac descriptiones sine iconibus, quemadmodum tabulae geographicae sine geographia et geographia sine tabulis?

4) Enim vero promissae sunt descriptiones et edentur post non adeo multos annos, quos ut vivas nec solus opto, causae autem ob quas ab iconibus descriptiones separantur, declaratae sunt in programmata meo, quod vide dum antequam vituperes.

5) Icones inquam, eduntur nunc primum, rerum ectypae seu formae, succedaneum herbarii, et Meriana, quamdiu hoc tantum agebat, ut rerum formas sisteret, recte, quantumvis foemina, agebat, nam si nomina adjecisset, quid poterant ad rerum cognitionem adferre magis sola et extra systematis nexum? Nos autem Synonyma adjicimus, ut emtores her-